



M
S. 920^{3a} - 4^o 2

9
2

G. q. 106. a.

VENERANDAM LIBERTATEM,
 QVA DEVS IN REBVS HVMANIS VTITVR,
 PIIS NON FORMIDABILEM, SED FONTEM
 NOSTRÆ FELICITATIS,

IN
COLLOQVIO CVM CHRISTO

ADMIRANTVR,

ET

LACRYMABILEM OBITVM

JUVENIS


*GENEROSI, AESTVMATISSIMI,
 AMANTISSIMI,*

**HENRICI RVDOLPHI
 CVLEMANN,**

CIVIS ANTEA PAEDAGOGII BERGENSIS MAXIME
 DESIDERABILIS

PLANGVNT

PÆDAGOGII BERGENSIS COLLEGÆ.



MAGDEBVRGI,

LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI PANSÆ, MDCCLIII.

AK



Tristis erat, celerique sui percussus Amandi
Morte Deum precibus lacrymisque rogabat Amicus?
O pater omnipotens, quae spargis fata per orbem?
Tristitia decernis, nostris meditaris in annis
Nil nisi funestos gemitus lacrymasque virorum.

Sed responsa dabat Deus, & sic voce paterna:
Vobis, mortales, pia nil nisi gaudia fingo,
Gaudia declaro, meditor modo gaudia gentis;
Nam mihi, tristis homo, semper stat summa voluptas.
Tunc ait: Hem! quare rapuisti morte *Molestum*
Hunc Juvenem, tenero quem gens dilexit amore?
Tunc Deus: Haud tua res, homo, namque ego sponte creavi;
Nonne mihi, qui sponte dedi, revocare licebat?
Me nescisse Deum? num tu mihi scribere leges
Et mandata voles? num tu mutabis olympi
Quam feriem posuit rebus per secula mundi.
Per me natus erat, per me defunctus in umbras
Tranquillas rediit, sic sic juvat ire per orbem
Intactis pedibus, sic stat mea sola voluntas.
Sic tibi libertas divina silentia ponat.
Summe Deus, refrerebat & ille, ignosce roganti:
Incutit humanis libertas horrida fati
Mentibus horrores, Tua libera fata tremisco.
Tunc Pater: o fili, trepida quid mente tremores
Fingis? & attonito tibi quid mea salva voluntas
Horrida? scire tibi mea mens horrenda videtur?
Liber eram, sic semper ero, sic liber amores
Expandi summos populis, sic libera tantos
Mens mea thesauros patefecit gentibus olim.

In terram quis me vestrosque coegit in artus,
Et tormenta pati, mortemque subire nefandam?
Sicne coactus eram? minime! sed sponte dolores
Libertate mea pro vobis passus iniquos.
O quantos tibi libertas mea pandit amores!
Sed pater omnipotens, juvenum cur tollis *Honorem?*
Cur tua vis juvenum rapiebat *Amabile lumen?*
Sic tremebundus ait. Sed Christus talia fatur:
Quid fingis? fili: merito mihi *Nobile Pigus*,
Sit mihi dulce decus, sint coelis optima quæque;
Patri deliciae veniant, ad sidera laudes.
Sed quare in paucos annos, tempusque creasti
Tam breve *Praclarum Juvenem?* respondet Amicus.
Sed Christus: sic finis erat, sic floret olympus,
Non hominum dat vita brevis, non secula fines,
Res homo major erit, majoris ponderis esto.
Aeternos fines Juvenis natalia spectant.
Viribus aeternis vivet, florebit & illic.
Ast retulit: Laudatus erat mentisque probatae,
Ingentioque Tibi valuit praestare labores;
Jam gentes tibi, Christe, tuo scripsisse necesse est
Regno, tot pulchros quare rapuisse volebas?
Et quare placuit terris evellere fores?
Tunc Deus omniscius: fines tenuisse repostos
Per terras facile est, deerit nec copia gentis,
Officiis quæ grata meis sua tempora vitæ
Consecrat, & vires animi: stat nobile regnum.
Et licet horrendis mihi reperet hostibus ævum,
Pestibus & tetris si squalida terra redundat,
Attamen omnipotens æterna ego jura tenebo,
Et manibus longis per turbida secula palpo.
Sed cur delicias vitæ non sponte dedisti
Egregio Juveni? retulit. Sed Christus ad illum:
Grandia tu centis delectamenta dierum,
Deliciae terræ tibi pista fronte videntur.
Res cæli melior, tranquillaque secula præstant,
Ac æterna quies Juveni meliora parabit.
Sed quare tua vis non illum ex ædibus illis
Illustri Patri movit? sic dixit Amicus.
Sed Deus: Ex vobis sperabam femina cæli.
Omnino, mi Christe, Tibi conferimus omnes,
Fidus Amicus ait, sed per Te femina crescant.
Crescant, Christus ait, modo vestrum est spargere semen.
Per me succedent curæ longique labores.
Sed vulnus tam triste scholis, mi Christe, secare
Cur placuit? lacrymas cur nobis exprimis udas?
Sic repeto planctus miseris, repetoque querelas:
Tunc Christus: Duris indigo vulnera vobis,
Ut levitas animi frenis teneatur acerbis,
Quæ vagabunda fluit rapidi ceu fluminis unda,
Ut mortes subitæ vivis sint signa salutis.
En! quanta levitate furunt animantia terræ!
Quæ portat tellus ignobile dedecus orbis.

Nec video vestros cives sentire periculum,
Sed sperant dura divinos fronte fragores.
Denique tristis homo, quid talia differis andax?
Sic volui. Taceas. Tua quid mihi proelia tentas?
Vulnera nunc, fili, mea respice, vulnere sanent.
Vulnera sponte tuli, tibi signa gravissima blandæ
Libertatis erunt, qua non crudelis abuter,
Sed mea libertas vestram fert sponte salutem.
Tunc pedibus Christi revolutus flebat Amicus:
Sancte Deus, precibus nostris ignosce Creator,
Nunc sceptrum fascesque tuos demissus adoro,
Nunc tibi servus ero, nunc victa mente tacebo.

Sic mortem, *CVLEMANNE*, *Tuam* ploramus amaram,
Et lacrymæ per membra fluunt, cineresque riganto.
Charus semper eras, Tua semper imago manebit
Dulcis, & in nobis habees pietatis honorem.
Pauca cano, nam me lacrymæ tacuisse jubebant,
Ingeniumque dolor superat, Tuæque ossa saluto
Paucis, & madidis lacrymis conspergo sepulcrum,
Sis Christo dulcis, per secula vive quietæ.
Nos flemus, sed non flentes mutamus olympum.
Sic Christus voluit, sacra sic mandata ferebant.
O *CVLEMANN* Christo & nobis *Dulcissime*, vivas.

Excellent Pater, Illustrius Dominus, adspice *Natum*,
Quem Christus nobis teneris abstraxit ab ulnis.
Christus causa fuit vitæ, quoque causa beatæ
Mortis erat. Valeas imos tolerare dolores.
Et *Tua Clara Dominus* semper *Generosus* vigeto.
Ast æternus honor venerandaque gloria Christo.



78 M 350


ULB Halle 3
001 592 122



56.

Petro V





VENERANDAM LIBERTATEM,
QVA DEVS IN REBVS HVMANIS VTITVR,

IRMIDABILEM, SED FONTEM
STRÆ FELICITATIS,

IN

VIO CVM CHRISTO

ADMIRANTVR,

ET

MMABILEM OBITVM

YVVENIS

L, AESTVMATISSIMI,
MANTISSIMI,


CI RVDOLPHI

LEMANN,

DAGOGII BERGENSIS MAXIME
DESIDERABILIS

PLANGVNT

I BERGENSIS COLLEGÆ.



MAGDEBVRGI,
NIS CHRISTIANI PANSÆ, MDCCLIII.

AK

